



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

4. An possit aduocare nominatim exco[m]municatum suspensum,
irregularem, realiter degradatum hæreticum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

stote vel superiore, ergo nec licebit illi in articulo mortis.

a arg. c. quod in te, de poen. & remiss.
 R. Negando consequentiam: Est enim maxima ratio diuersitatis inter articulum mortis & alias necessitates, quia in illo absente (a) pastore, sicuti propter urgentem necessitatem, licet cuicumque sacerdoti beneficium absolutionis impendere; ita etiam licet hoc sacramentum ministrare, etiam si non habeant ad hoc specialem facultatem à pastore concessam: aliis vero casibus, quibus ea non inest necessitas, non licet, nisi supposita aliqua facultate vel privilegio ministrandi.

Q V Æ S T I O I V.

An etiam possit aduocare nominatim excommunicatum, suspensum, irregularem, realiter degradatum hereticum?

Questionis explicatio.

b Durand. & Palud. in 4. dist. 13.
 S I non defuerunt qui negarent huiusmodi posse aduocari in necessitate baptismi & pœnitentiæ, mirandum non est non defuisse (b) qui negarent posse vocari in necessitate huius sacramenti, quod (vt diximus) non est tantæ necessitatis, sicut præcedentia: Horum occasione quaritur, an in necessitate huius sacramenti possint tales

tales in defectum aliorum aduocari?

Responsio.

Possunt: secluso periculo scandali publici, aut infamiae religionis aut similis alterius periculi, quia poenitentia & Eucharistia quoad hoc in (a) iure aequiparantur: Sicut ergo pro sacramento poenitentiae in necessitate vocantur quicumque sacerdotes, quantumuis praecisi & haeretici; ita etiam vocari poterunt pro sacramento Eucharistiae. Neque hoc in fauorem haereticorum, & huiusmodi malorum ministrorum sed solum ipsorum fidelium in necessitate existentium: sic enim censura latae sunt in odium iniquorum, ut non cedant in grauissimum detrimentum bonorum fidelium.

a c. Quod in te. de poenit. & remiss.

Dixi: (secluso periculo scandali aut infamiae religionis) quia illis positus nullo pacto licet, ut notum est.

Dices, (b) D. Gregorius laudat Hermenigildum, eo, quod in fine vitae noluit ab haeretico Eucharistiam accipere.

b lib. 6. Dialog. c. 31. & habetur in c. superueniente, q. 1. c. ult.

R. Fuisse tunc periculum infamiae religionis & aliorum incommodorum, quae recensuimus, quantum ex historiis colligi potest, & ideo merito laudatur, tum ob rectam intentionem, tum ob prudentem actionem, qualis Catholicum & sanctum Principem decebat.

QV E